Programm

des

Königlichen Gymnasiums

zu

Ratibor

für die Zeit

von Ostern 1874 bis dahin 1875.

Inhalt:

Ratibor.

Riedinger's Buch- und Steindruckerei.

1875.

Quantam vim ac potestatem disciplina auguralis in omnibus Romanorum rebus domi militiaeque ordinandis atque administrandis habuerit, quis est qui nesciat? Qua de disciplina libri non tantum extabant tales, qui inde ab antiquissimis temporibus originem ducentes, quomodo rite auspicia servanda essent, docebant (libri augurales sive augurum, libri reconditi), aut qua conditione ac fortuna ars augurum per saecula usa esset referebant (commentarii augurales sive augurum, decreta collegii), sed etiam qui ab auguribus doctis aliisque in antiquitatibus curiosis viris conscripti non tam id spectabant, ut ars illa melius tractaretur sed utpote dignissima studio accuratius perspiceretur.

Quibus ex libris tam pauca, quae quidem fere ex singulis formulis vocabulisque et exilibus adnotationibus constant, ad nostram cognitionem pervenerunt, ut augurum disciplina summa caligine obvoluta videatur, quae penetrari ita ut solida et expressa universae artis imago exhibeatur, nunquam poterit.

Ac si quaerimus, quomodo factum sit ut res in tantam oblivionem abierit, non tam in temporum iniquitate quam in artis ipsius natura et conditione causa invenietur. Disciplina enim auguralis tam arcana impeditaque et tot tantisque adstricta erat caerimoniis, ut ab ipsis auguribus ignoraretur, praesertim cum nobiles, quippe quibus solis auspicandi artem scilicet vere Romanam tenere liceret, non ii essent qui turbulentis praesertim reipublicae temporibus eo quo par erat studio in rem tam difficilem incumberent. Neglegentia, inquit Cicero (Nat. d. II 3,9), nobilitatis augurii disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta, — idemque fere in iis, quos de divinatione scripsit libris, saepius legitur. Quum vero Romani ut erant superstitiosi ullam rem suscipere vererentur non cum diis antea communicatam, illam propter causam ars augurum paulatim obsolevit, haruspicum disciplina ex Etruria accita magis magisque efflorescere coepit. Et quamvis utriusque disciplinae munus et officium ita discerneretur, ut augures deos in rebus consulerent ingrediendis, haruspices responderent quomodo dii placandi essent, tamen hoc discrimine neglecto haruspicum procurationes prodigiorum, ars fulguratoria, extispicina augurum auspicia, quibus non captatis nihil quondam fieri solebat, in oblivionem abducerent.

Quoniam de causis locutus sum, cur artis auguralis exigua extent monumenta, locos, quos ad illam pertinentes investigavi, collectos in conspectu ita ponam, ut fragmenta ipsa et vocabula auguralia ordinem literarum secutus afferam.

Qui ampliorem desiderat commentarium, ei, cum per sumptum annuum decretum non mihi licuerit nisi exiguis equitare campis, more augurum respondeo:

A l i o d i e.

Fragmenta auguralia.

1 Ager Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus
Ager effatus v. effatus
Ager Remurinus v. aves Remores
2 Alio die
3 Ambiegna
4 Arcanus
5 Asserere
6 Augur
7 Auguraculum
8 Augurale
9 Auguratio

---

1 Varro de l. l. V 33. Ut nostri augures publici disserunt, agrorum sunt genera quinque, Romanus —. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo. Gabinus ab oppido Gabis. Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum et Gabinum, quod uno modo in his sequuntur auspicia. Dictus peregrinus a pergendo i. e. a progrediendo; eo enim ex agro Romano primum progrediebantur. Quocirca Gabinus quoque peregrinus, sed quod auspicia habet singularia, ab reliquo discretus. Hosticus dictus ab hostibus. Incertus is, qui de his quatuor qui sit ignoratur. cl. Festus 253. Peregrinus ager secundum augures publicos est ager pacatus extra Romanum et Gabinum, qui usu et jure augurum a peregrino discernitur. Ad rem cl. Serv. ad Verg. Aen. II 178.

2 Cic. leg. II 12,31. Quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur — dixerit? id. or. Phil. II 33,83. Confecto negotio bonus augur — inquit. ibid. 84.

3 Varro l. l. VII 31 — bos apud augures, quam circum aliae hostiae constituuntur. cl. Paul. 4, Müll. Ambegni bos et verbix appellabantur, quum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.

4 Paul. 16. Arcani sermonis significatio a genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne literis quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur. cl. Serv. ad Aen. III 265.

5 Varro l. l. VI,64. Adserere manu in libertatem, quom prendimus. Sic augures dicunt: ‚Si mihi auctor es verbenam (sic Bergk pro cod. scr. verbi.. nam) manu asserere' dicit.. consortes (Locus perobscurus quia corruptus.)

6 Cic. leg. II 8. Interpretes autem Jovis Optimi Maximi publici augures etc. Festus 261. Quinque genera signorum observant augures, ex caelo, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris, ut est in auguralibus. Paul. 1.

Forma antiquior est auger (Prisc. p. 554 P.) v. Auspex.

7 Paul. 16. — appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publici (sic. leg. pro publice) auspicarentur.

8 Quintil. Inst. 8, 2, 8. Tabernaculum ducis augurale.

9 Cic. div. II 20.

1 Auguratorium
2 Augurium
3 „ canarium
4 „ oblativum
5 „ impetrativum
6 „ caeleste
7 „ de salute
8 „ stativum
9 „ vernisera
10 „ accipere, agere, capere, captare, dare, nuntiare, servare, decantare
11 Augustus
12 Auspex

---

2 Serv. Aen. II 702. Augurium est exquisita deorum voluntas per consultationem avium aut signorum. id. III 89. Augurium est (sequitur idem locus) — quod tunc peti debet, quum id quod animo agitamus per augurium a diis volumus impetratum.

3 Fest. 285 s. v. Rutilae. Plin. nat. hist. XVIII 3,4.

4, 5 Serv. Aen. VI 190. Auguria aut oblativa sunt quae non poscuntur, aut impetrativa. quae optata veniunt.

id. XII 259. In oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit an refutet et abominetur.

id. V 530. Secundum augurum disciplinam dixit ad se non pertinere, nam nostri arbitrii est visa omina vel improbare vel recipere.

Plin. nat. hist. XXVIII 4, 17. In augurum disciplina constat neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observasse ea negaverint.

6 Paul. 64. Caelestia auguria vocant cum fulminat aut tonat.

Cf. auspicium maximum.

Cic. div. II 18, 42. In nostris (sc. augurum) commentariis scriptum habemus: Jove tonante, fulgurante comitia populi habere nefas.

id. nat. d. II 25. Augures — dicunt: Jove fulgente tonante.

id. or. in Vatin. 8. Augures omnes usque a Romulo decreverunt, Jove fulgente, cum populo agi nefas esse.

id. or. in Phil. V 3. Jove tonante cum populo agi non esse fas quis ignorat?

7 Cic. div. I 47. leg. II 8. Suet. Aug. 31. Tac. Ann. XII 33.

8 Serv. Aen. III 84. — augurii genus, quod stativum vocatur, in quo consideratur, quo in loco auguria peragi debeant.

9 Paul. 379. — messalia auguria v. Müller hoc loco, qui judicat Augustinum recte conjecisse Messalae auguria.

10 Varro L. l. VI 42. — augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant quam faciant.

Ut augurium sic augur, tabernaculum, templum capitur. Paul. 46. Captus locus dicitur ad sacrificandum (leg. auspicandum) legitime constitutus.

11 Paul. 1. Augustus locus sanctus ab avium gestu i. e. quia ab avibus significatus est, sic dictus. loca quoque religiosa et in quibus augurato quid conservatur, augusta dicuntur.

Serv. Aen. VII 153 Augusta ad moenia] augurio consecrata.

12 Augur et auspex voces fere confunduntur. Cf. tamen Non. 429,26.

1 Auspex nuptiarum
2 Auspicium
3 Auspicia ex acuminibus
4 „ caduca
5 „ clivia
6 „ coacta
7 „ dextra (dextima)
8 „ dira
9 Auspicium juges
10 Auspicia majora, minora
11 Auspicium maximum
12 Auspicia pedestria

---

1 Cic. div. I 16. Nihil fere quondam majoris rei nisi auspicato ne privatim quidem gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent. Serv. Aen. I 346. Romani nihil nisi captatis faciebant auguriis et praecipue nuptias.

2 Paul. 1. Auspicium ab ave spicienda, aspicio apud veteres spicio.

Serv. Aen III 20. Auspicia omnium rerum sunt, auguria certarum: auspicari enim cuivis, etiam peregre licet augurium agere nisi in patriis sedibus non licet. id. Aen. IV 340. In jure augurali auspicium dicitur, quod non petentibus nobis ad ea, quae in animo habemus, jure ominis offertur. Senec. quaest. nat. II 32. Auspicium est observantis; ad eum itaque pertinet, qui in ea direxerit animum.

Serv. Aen. I 398. Hoc interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et certis avibus ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur: quod ipsum tamen species augurii est.

3 Arnob. II 67. Cic. div. II 30. Dion. Hal. p. 312.

4 Paul. 64. Caduca auspicia dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu.

5 v. avis clivia.

6 Cic. div. I 15.

7 Fest. 56. dextra auspicia prospera. Paul. 74. Dextimum et sinistimum antiqui dixerunt.

8 Serv. IV 453. Sunt et de avibus dira auspicia. v. dirae.

9. Serv. Aen. III 537. — Juge eis (leg. juges) dicitur augurium, quod ex junctis jumentis fiat. Observatur enim, ne prodituro magistratui disjunctis bobus plaustrum obviam veniat. — (In iis quae sequuntur quid sibi velint libri Etrusci non video.) Paul. 104. Juges auspicium est, quum junctum jumentum stercus fecit. Cic. div. II 36,77. Nos augures praecipimus, ne juges auspicium obveniat, ut jumenta jubeant dijungere.

10 Serv. Ecl. IX 13. Minora auspicia majoribus cedunt nec ullarum sunt virium, licet priora sunt. id. Aen. III 374. Auspicia majora sunt, quibus praeter tripudium auspicari jus sit neque precatio adhibetur; — auspicia majora ab avibus majoribus (sic lego pro cod. scr. majora aut majoribus) dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur, ut puta si parra vel picus et deinde contrarium aquila dederit, auspicium aquilae praevalet.

11 Serv. Aen. II 693. Auspicium quum de caelo sit, verbo augurum maximum appellatur. v. Augurium caeleste.

12 Paul. 244. Pedestria auspicia nominabantur, quae dabantur a vulpe, lupo, serpente, equo ceterisque animalibus quadrupedibus. cl. Plin. Nat. hist. VIII 22, 34, 83.

1 Auspicia peremnia
2 „ privata, publica
3 „ proptervia
4 „ pullaria
5 „ sinistra (sinistima)
6 „ urbana
7 Auspicia accipere
8 „ habere
9 „ ponere
10 In auspicium adhiberi
11 In auspicio esse
12 Aves abdicunt
13 „ addicunt
14 „ admittunt, admissivae
15 „ adversae
16 „ alites
17 „ alterae
18 „ arculae
19 „ canunt

---

1 Fest. 245. Peremne dicitur auspicari, qui amnem aut aquam, quae ex sacro oritur, auspicato transit. Fest. 250. Petronia amnis est in Tiberim perfluens, quam magistratus auspicato transeunt, quum in campo quid agere volunt; quod genus auspicii peremne vocatur. cl. Paul. 251. cl. Serv. Aen. IX 22. Et sic effatus ad undam]Locus iste dictus est secundum augurum morem, apud quos fuerat consuetudo, ut, si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati aquas haurirent exinde manibus et fusis precibus vota promitterent, ut visum perseveraret augurium, quod aquae intercessu disrumpitur.

3 Fest. 245. [Propter]via ap[pellantur auspicia, quae se propter viam] ostent[ant].

4 Serv. Aen. VI 198. Romani moris fuit et in comitiis agendis et in bellis gerendis pullaria captare auguria. cl. Cic. div. II 34, 71.

5 Fest. 339. Sinistrae aves sinistrumque sive sinistimum auspicium id quod sinat fieri. cf. Serv. Aen. II 693.

6 Varro l. l. V 143. Pomerium dictum, quo auspicia urbana finiuntur.

7 Cic. div. II 36, 76.

8 Gell. XIII 15.

9 Cic. nat. d. II 3,9.

10 Cic. div. II 34,72.

11 Cic. div II 34,71 resp. II 9,16 leg. III 19,43. Gell. XIII 15.

12 Cic. div. I 17,31.

13 Fest. 241 s. v. Praetor. Liv. I 36. 55.

14 Liv. IV 18, 6. Plaut. Asin. II 1, 11. Paul. p. 21. Admissivae aves dicebantur ab auguribus, quae consulentem juberent.

15 Cic. div. I 16, 29. Etiam adversissima auspicia. Suet. Otho 8.

16 v. Aves oscines.

17 Paul. 7. Alter et pro non bono ponitur, ut in auguriis altera quum appellatur avis, quae utique prospera non est.

18 Paul. 16. Arcula dicebatur avis, quae in auspiciis vetabat aliquid fieri.

1 Avis circanea
2 „ clamatoria
3 „ clivia
4 „ fucillans
5 „ feralis
6 „ funebris
7 „ incendiaria
8 Aves inebrae
9 „ inferae
10 „ monent
11 „ obscenae
12 „ occinunt
13 „ oscines

1 Paul. 43. Circanea dicitur avis, quae volans circuitum facit.

2, 3 Plin. nat. hist. X 13 (17) 14,37. Cliviam avem ab antiquis nominatam animadverto ignorari. quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam. cl. Paul. 64. Clivia auspicia dicebant, quae aliquid fieri prohibebant.

4 Fest. 371. Volscram (cod. Voisgram) avem, quae se vellit. Augures hanc eandem fucillantem appellant.

5 6 Plin. nat. hist. X 12 (16) 35. Bubo funebris — privatorum domibus insidentem plurimum scio non fuisse feralem.

7 Plin. nat. hist. X 13 (17) 36. Inauspicata est et incendiaria avis. Quae sit avis ea non reperitur nec traditur; quidam ita interpretantur, incendiariam esse quaecunque apparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus.

8 Paul. 109. Inebrae aves, quae in auguriis aliquid fieri prohibent. cl. Serv. Aen. III 246. Alites si fuerint prosperae praepetes, si adversae inebrae (cod. inhibrae) dicuntur.

9 v. aves praepetes.

10 Cic. div. II 36,78. Ammian. XXVIII 1. Quid augurales alites vel cantus monerent. cl. Verg. Ecl. IX 15.

11 Serv. Aen. III 241. Obscenae sunt aves, quae canendo adversa significant.

13 Cic. div. II 64,160. Aves quasdam et alites et oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus.

Serv. Aen. I 394. Alites (cod. aliter) proprie dicuntur aves, quae volatu auspicia faciunt, buteo, sanqualis, immusulus, aquila, vulturius. Paul. 3. Alites volatu auspicia facientes istae putabantur: buteo, sanqualis, immusulus, aquila, vulturius.

Varro l. l. VI 76. Oscines dicuntur apud augures, quae ore faciunt auspicium.

Fest. 197. Oscines aves Ap. Claudius esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, ut corvus, cornix, noctua; alites, quae alis ac volatu, ut buteo sanqualis, aquila, immusulus, vulturius; picus autem Martius Feroniusque et parra et in oscinibus et in alitibus habentur.

ibid. Oscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit corvus, cornix, noctua, parra, picus.

Plin. nat. hist. X 7 (8) 20. Sanqualem avem atque immusulum augures Romani magna in quaestione habent etc.

Fest 317. Sanqualis avis a[ppellatur, quae in com]mentariis augura[libus ossifra]ga dicitur, quia in [Sanci dei]tutela est. Paul. 316. Sangulis avis quae ossifraga dicitur. cf. Fest. 343 Sanqualis porta.

Cic. div. I 39,85. ibid. I 7,12: Panaetius requirens Jupiterne cornicem a laeva, corvum a dextra canere jussisset.

1 Aves praepetes
2 Avis prohibitoria
3 Aves Remores

Plaut. Asin. II 1,11. Impetritum inauguratum est, quovis admittunt aves: picus et cornix a laeva, corvus, parra a dextera.

Plin. nat. hist. X 12 (15) 33. Corvorum pessima significatio cum glutiunt vocem velut strangulati.

ibid. X 12 (14) 30. Cornix ipsa ales est inauspicatae garrulitatis, a quibusdam tamen laudata.

ibid. X 18 (20) 40. Pici Martio cognomine insignes et in auspiciis magni.

cl. ibid. X 19 (22) 43. Nunc de secundo genere dicamus, quod in duas dividitur species, oscines et alites. illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.

1 Serv. I 393. In auguriis considerandae sunt non solum aves sed etiam volatus, ut in praepetibus, et cantus, ut in oscinibus. ibid. III 246. Alites certa genera avium ab auguribus appellantur, quae pinnis vel volatu omina possunt facere, quae si fuerint prosperae, praepetes, si adversae, inebrae dicuntur.

Fest. 205. Praepetes aves quidam dici aiunt, quia secundum auspicium faciant praetervolantes; alii quod aut ea, quae praepetamus, indicent aut quod praetervolent. Paul. 244. Praepetes aves dicuntur, quae se ante auspicantem ferunt. Nam praepetere dicebant pro anteire.

Gell. VII 6,2. (Julius Hyginus ait:) praepetes aves ab auguribus appellantur, quae aut opportune praevolant aut idoneas sedes capiunt. Locos porro praepetes augures appellant et Ennius in Annalibus I: Praepetibus sese pulcrisque locis dant. Avibus autem praepetibus contrarias aves inferas appellari, Nigidius Figulus in l. I augurii privati ita dicit: Discrepat dextra sinistrae, praepes inferae. Ex quo est conjectare praepetes appellatas, quae altius sublimiusque volitent, cum differe a praepetibus Nigidius inferas dixerit.

Serv. Aen. III 361. Et volucrum linguas] praepetes sunt, quae secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur. Aves autem aut oscines sunt aut praepetes: oscines, quae ore futura praedicunt (ab os et cano), praepetes, quae volatu augurium significant, eum sint prosperae. Sed praepetes aut superiora tenent et praepetes vocantur aut inferiora et dicuntur inferae, praepetes autem ideo, quia omnes aves priora (al. superiora) petunt volantes.

cl ibid VI 15. Praepetes sunt aves boni augurii, quod huic datur, qui pervenit, quo cupiebat (cod. huic dat quia).

cl. ibid IV 462. Omnes aves oscines malae praepetes bonae sunt, vel e contra malae praepetes oscines bonae sunt (in cod. omissum est oscines).

Hic addendii videntur loci qui ibidem extant: Nec omnes (aves) nec omnibus dant auguria. Ut columbae non nisi regibus dant (auguria), quia nunquam singulae volant, sicut rex nunquam solus incedit. Item cycni nullis dant nisi nautis, sicut lectum est in ὀρνιθογονίᾳ: Cycnus in auguriis nautis gratissimus ales: hunc optant semper quia nunquam mergitur undis (Post primum versum vox augures, quae legitur, ut glossema omittenda videtur. Contra Burmannus legit: gratissimus augur: Hunc etc.) Et ibid. I 398. Multi tamen asserunt, cycnos inter augnrales aves non inveniri neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse: posse quamlibet avem auspicium attestari maxime quum non poscatur.

cl. Serv. Aen. IV 462. Secundum auguralem disciplinam volunt greges avium minus significare.

2 v. Avis clamatoria.

3 Paul. 276. Remores aves in auspicio dicuntur, quae acturum aliquid remorari compellunt. (Fortasse haec vox non referenda est ad verbum remorandi, sed ad Remum, infelicem illum augurem. Certe ut Romulia tribus a Romulo, sic Lemonia (sive Remonia) tribus a Remo dicta erit (cf. Paul. 115 et 271). Cf. praeterea Fest. 277. Remurinus ager, et Lemures.)

1 Aves sinistrae
2 „ supervaganeae
3 „ Titiae
4 Capillaris
5 Causa
6 Coluber
7 Condictio
8 Conregio
9 Consensio
10 Conspicio
11 Consulo avem
12 Contemplor
13 Convello signa

---

1 v. Auspicia sinistra. Cic. leg. III 3, 9. Ave sinistra dictus populi magister esto.

2 Paul. 304. Snpervaganea dicebatur ab auguribus avis, quae ex summo cacumine vocem emisisset, dicta ita, quia super omnia vagatur aut canit. Fest. 305. idem extat locus, sed mutilatus.

3 Varro l. l. V 85. Sodales Titii dicti ab Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent.

4 Serv. Aen. X 423. Haec arma] Sane superius (III 84) de speciebus stativi augurii dictum est, in quibus capillarem (cod. capillorem) esse diximus, quod hoc loco tangit. Capillaris (cod. Capillor) enim dicitur, cum auspicato arbor (cod. arbore) capitur et conservatur Jovi Fulguri (Jovis fulguri cod.) [Qui locus ex codice Danielis uberiore desumptus est. De singulis speciebus augurii stativi loco citato nihil legitur.] Hic ergo cum arborem nominat, videtur veteris ritus inducere mentionem. cl. Paul. 57. Capillatam vel capillarem arborem dicebant, in qua capillum tonsum suspendebant. cf. Fest. 294. Strufertarii.

Plin. N. H. XVI 44, 85 § 235. Antiquior est sed incerta ejus aetas, quae capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eum defertur. cf. Ovid. fast. III 341. Liv. I 20 ubi Jovis Elicii mentio fit. Plin. nat. hist. II 54, 140. Fest. 245. Procurationes.

5 Serv. Aen. VII 141. Coelo claro ab alto] in serenitate, quod est augurii, nam in nubibus [fulminis] causa est. (Al. nam si coelo nubilo fuerit, causa est.)

ibid. IX 630. De parte serena] ut non causae sit sed augurii.

cl. Cic. div. II 39, 82. Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius: Tum tonuit laevum bene tempestate serena.

6 Serv. Aen. VIII 95. Tiberim libri augurales colubrum loquuntur.

7 Serv. Aen. III 117. Tertia lux] Hoc quidam juxta speciem auguralem positum tradunt, quae appellantur condictio i. e. denuntiatio, cum denuntiatur, ut quis ad inaugurandum adsit.

Paul. 66. Condictio in diem certum ejus rei, quae agitur, denuntiatio. id. 64. Condicere est dicendo denuntiare.

8 Paul. 66. conregione e regione. Varro l. l. VII 8.

9 Serv. Aen. III 60. Omnibus idem animus] Hoc juxta disciplinam auguralem dixit, quae appellatur consensio, sicut in libro II dictum. (Qui locus desideratur.)

10 Varro l. l. VII 8.

11 Symmach. ep. III 44. Ad verba prisca redeamus, quibus et Salii canunt et augures avem consulunt. Liv. II 42. Ovid. fast. I 180.

12 Paul. s. v. Contemplari.

13 Cic. div. I 35,77. Liv. XXII 3 ad fin.

1 Cortumio
2 Cubans auspicor
3 Dirae
4 Dirimitur auspicium, tempus
5 Discedit caelum
6 Divi qui potes
7 Effari, effata
8 Exaugurare
9 Extemplo
10 Fulgur, fulmen
11 Impetrire
12 Inauguro, inauguratio
13 Inauspicatus
14 Invocatio

1 Varro l. l. VII 8.

2 Paul. 66. Cubans auspicatur, qui in lecto quaerit augurium. Fest. 348. s. v. Silentio surgere.

3 Serv. Aen. III 246. Celaeno, infelix vates] videtur hic auspicii genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur, quorum unum genus est, quod ex signis colligitur, quo nunc utimur.

Ibid. IV 453. Vidit turicremis] Hoc genus ominis Didoni factum de augurali disciplina translatum est, quae de diris (cod. quae diris) observatur. Dira enim deorum ira est, quae duplici modo colligitur aut ex signis aut quocunque modo. ibid. Sunt et de avibus dira auspicia etc.

Plin. nat. hist. X 12 (16) 34. 35. Bubo funebris et maxime abominatus publicis praecipue auspiciis — in luce visus dirum ostentum est.

Serv. Aen. IV 462. Sola bubo] ubi enim sederit aut cecinerit solitudinem significat etc.

4 Plin. nat. hist. VIII 57 (82) 223. Soricum occentu dirimi auspicia annales refertos habemus. Liv. VIII 23. Cic. leg. II 12 et saepius.

5 Serv. Aen. IX 20. In auguralibus libris inter ostenta etiam caelum discessisse (cod. discisse) dicitur. Cic. div. I 43. 44. II 28, 60. Seneca quaest. nat. VII 20.

6 Varro l. l. V 58. Et hi quos Augurum libri scriptos habent sic: — pro illo quod Samothraces θεοὶ δυνατοί. cl. Serv. Aen. III 12.

7 Varro l. l. VI 53. Effari templa dicuntur ab auguribus. Cic. leg. II 8, 21. Urbemque (augures) et agros templa liberata et ecfata habento.

Serv. Aen. III 463. Effatus poeta verbo augurali usus est, quia scit, loca sacra i. e. ab auguribus inaugurata effata dici.

ibid. VI 197. Proprie effata sunt augurum preces. Unde ager post pomeria, ubi captabantur auguria, dicebatur effatus. ibid. II 692.

9 Serv. Aen. I 92. Extemplo est augurum sermo. Templum enim dicitur locus lituo (cod. manu) [auguris] designatus in aere, post quem factum extemplo (cod. illico) captantur auguria.

ibid. VI 210. Extemplo; bene verbo usus est augurum, ut diximus supra (I 92).

ibid. II 699. Se tollit ad auras] verbum augurum, qui visis auspiciis surgebant ex templo, unde est extemplo.

10 V. partes et servare de caelo.

11 Cic. div. I 2,3. Cum magna vis videretur esse et in impetriendis consulendisque rebus.

ibid. I 16,28. Avibus magnae res impetriri solebant.

14 Serv. III 265. Numina magna] Hoc per speciem auguralem, quae invocatio appellatur, nonnulli dictum putant. Invocatio autem est precatio, uti avertantur mala, cujus rei causa id sacrificium augurale peragitur.

1 Legum dictio
2 Liberare
3 Lituus
4 Magister populi
5 Manalis fons
6 Manubiae
7 Marspedis
8 Mentiri, ementiri auspicia
9 Negritu
10 Nunciatio
11 Obnuntio, obnuntiatio
12 Observo

---

1 Serv. III 89. Da pater augurium] est species ista augurii, quae legum dictio appellatur. Legum dictio autem est, cum initio (sic suspicatur Th. Mommsen, cod. cum condictio) ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quali conditione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis.

2 Cic. leg. II 8,21. Serv. Aen. I 446. Antiqui aedes sacras ita templa faciebant, ut prius per augures lucus liberaretur effareturque.

Paul. 121. Liberata ponebant pro effata, hoc est locuta.

3 Cic. div. I 17. Serv. Aen. VII 187. Liv. I 18.

4 Cic. de rep. I 40, 63. Dictator quidem ab eo appellatur, quia dicitur, sed in nostris libris vides eum magistrum populi appellari.

Senec. ep. XVIII 5 (108) 30. Ex Ciceronis republica (philologus) notat, eum, quem nos dictatorem dicimus et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. Hodieque id exstat in auguralibus libris.

cl. Cic. leg. III 3, 9; 4, 10. Velius Longus (p. 2234 P.)

Varro l. l. V 82. Fest. 198 s. v. optima lex.

5 Fest. 157. Manalis fons appellatur ab auguribus puteus perrennis neque tamen spiciendus videtur, quia flumen id spiciatur, quod sua sponte in amnem influat.

Paul. 128. Manalem fontem dici pro eo, quod aqua ex eo semper manet.

Paul. 156. Manes dii ab auguribus vocabantur, quod eos per omnia manare credebant eosque deos superos atque inferos dicebant. Fest. 157. locus mutilus. Serv. Aen. II 268. Manum bonum dixere veteres.

6 Fest. 129 et saepius, sed transierunt ad disciplinam Etruscam.

7 Fest. 160. Marspedis sive sine r litera Maspedis in precatione solitaurilium quid significet ne Messala quidem Augur in explanatione auguriorum reperire se potuisse ait.

8 Liv. X 40 et saepius.

9 Fest. 165. Negritu in auguriis significat aegritudo. (sic cod. Corssen [Philol. XX 734] nigritudo. Bergk [Beiträge zur lat. Gr. p. 28 Anm. 2] negritud (vel negrituod) in aug. sign. nec ritu.

10 Cic. or. Phil. II 32, 81. Nos (augures) nuntiationem solum habemus: consules et reliqui magistratus etiam spectionem.

11 Donat. ad. Terent. Ad. IV 2, 8. Qui malam rem nuntiat obnuntiat, qui bonam annuntiat; nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis scaevumque viderunt.

Arnob. II 6,7. Cic. div. I 16, 29.

12 Serv. Aen. VI 198. Observare et de caelo et de avibus verbo augurum dicitur.

1 Orior
2 Paludati
3 Pars antica, postica, dextra, sinistra
4 Pomerium
5 Precatio, — maxima
6 Provocatio
7 Puls
8 Renovo, repeto auspicia

---

1 Velius Longus (p. 2234 P.) Oriri apud antiquos surgere frequenter significabat, ut apparet, in eo, quod dicitur: consul oriens magistrum populi dicat. Liv. VIII 23. Quum consul oriens de nocte silentio diceret dictatorem. Fest. 241. A sole oriente auspiciis operam dare.

2 Fest. 253. Paludati in libris auguralibus significat, ut ait Veranius, armati, ornati. omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici. Liv. X 40 acies ornata armataque — id. XXVII 13.

Schol. Veron. ad Aen. X 241. (ed. H. Keil) — silentio deinde facto residebat (imperator) et dicebat: equites et pedites nomenque Lati[num . . . les cincti armati paludati . . . [quot quot ad] estis, sicuti tripudium sinisterum solistimum quisquis vestrum viderit nuntiato.

3 v. Templum.

4 Gellius XIII 14. Pomerium quid esset, augures populi Romani, qui libros de auspiciis scripserunt, istius modi sententia definierunt: Pomerium est locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbanii auspicii, etc.

Varro l. l. V 143. Pomerium dictum, quo auspicia urbana finiuntur. cl. Fest. 249. 250. Paul. 248. Liv. I 44, 45. Senec. dial. X 13, 8.

5 Serv. Aen. XII 176. Esto nunc sol] et hoc per speciem augurii, quae precatio maxima appellatur, dicit. Precatio autem maxima est, quum plures deos, quam in ceteris partibus auguriorum precatur eventusqne rei bonae poscitur, ut in melius juvent.

ibid. VI 197 proprie effata sunt augurum preces (v. effatus) ad captanda auguria post preces immobiles vel sedere vel stare consuerant. Talis precatio legitur Liv. I 18.

Cic. nat. d. III 20, 52. In augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Almonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.

cl. Serv. Aen. VIII 31, 95. ibid. 63. In sacris (Tiberinus) etiam Serra dicebatur. ibid. 330. Tiberinus et a pontificibus indigitari solet. ibid. 72. invocatur in precibus: Adesto, Tiberine, cum tuis undis (qui versus Saturnius est). Fest. 157. (Paul. 156). Manes ab auguribus invocantur.

Serv. Aen. IV 166. Quidam sane Tellurem praeesse nuptiis tradunt, nam et in auspiciis nuptiarum vocatur. ibid. IV 45. Junone secunda] quae praeest conjugiis — quamvis et ipsa in libris augurum praeesse dicatur auspiciis.

Adjungam hoc loco fragmenta haec: Fest. 351. ‚Bene sponsis beneque volis‘ in precatione augurali. Messala augur ait significare spoponderis volueris.

ibid. ‚Serpula serpserit‘ ait idem Messala, serpens irrepserit. Solino idem ait esse consulo. Suad ted idem ait esse sic te.

6 Cic. rep. II 31,54. Provocationem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales.

Seneca ep. XVIII 5 (108) 31. Aeque notat, provocationem ad populum etiam a regibus fuisse; id ita in pontificalibus libris et alii putant et Fenestella.

7 v. Tripudium.

8 Fest. 266. [Romanus ager]—ubi incubare posset auspicii repetendi causa.

1 Respicio avem
2 Rumentum
3 Sarte
4 Sedeo
5 Servo de caelo
6 Silentium, silentio surgo
7 Solida sella sedeo
8 Sorix
9 Specio avem
10 Spectio
11 Stellam
12 Tabernaculum

Serv. Aen. II 178. Omina ni repetant] — postquam imperium (cod. ministerium) longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad renovanda auspicia de longinquo revertisset, constitutum etc.

1 Fest. 289. Respicere avem est in auspicando, unde quis avem prospexit, quum eodem revertitur.

2 Fest. 270. [Rumentum in augur]alibus significare vi[detur interruptio abrupti]ove: ,dum verba anci[libus movendis praeit, si int]erim avis canerit . . . o augurio rumentum [estod].'

Paul. 271. Rumentum abruptio.

Fest. 322. Sarte in auguralibus pro integro ponitur: Sane sarteque audire videreque.

3 Paul. 323. Sarte ponebant pro integro.

4 Serv. Aen. IX 4. Secundum augures sedere est augurium captare. Namque post designatas caeli partes a sedentibus captabantur auguria. cl. VII 187. VI 197. ibid. I 56. est curantis et solliciti sedere; apud antiquos enim sedet considerat significabat.

Fest. 248. s. v. Silentio sedere. Plut. Marc. 5. ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος.

5 Gell. XIII 15,1. In edicto consulum — scriptum ex vetere forma perpetua: ne quis magistratus minor de caelo servasse velit.

6 Cic. div. II 34, 71. 72. Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo. Respondet: Audivi. Hic apud majores adhibebatur peritus, nunc quilubet. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit intellegat; id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intellegere perfecti auguris est. Ille autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur: Dicito si silentium esse videbitur — nec suspicit nec circumspicit, statim respondet, silentium esse videri. Tum ille: Dicito si pascuntur. Pascuntur.

Fest. 348. s. v. Silentio surgere. Hoc enim est [proprie si]lentium omnis vitii in auspiciis vacuitas, etc.

Liv. X 40. L. Papirius tertia vigilia noctis silentio surgit et pullarium in auspicium mittit.

7 Fest. 347. (locus mutilatus).

8 Mar. Vict. (2470 P.) Sorix aut saurix avis tributa Saturno ab auguribus etc.

9 Varro l. l. VI 82. In auguriis etiam nunc augures dicunt avem specere.

Paul. 331. Spicit quoque sine praepositione dixerunt antiqui. Fest. 344.

10 Fest. 333. Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione etc.

11 Fest. 351. Stellam significare ait Atejus Capito laetum et prosperum, auctoritatem secutus P. Servilii auguris etc.

12 Serv. Aen. II 178. In constituendo tabernaculo si primum vitio captum esset, secundum eligebatur; quodsi et secundum vitio captum esset, ad primum reverti mos erat. Tabernacula autem eligebantur ad captanda auspicia.

1 Tempestutem
2 Tera
3 Templum
4 Tesca
5 Templa[1]) tescaque me[2]) ita sunto, quoad ego sarte[3]) linguam[4]) nuncupavero.
Ollad[5]) arbore, quirquir est, quam me sentio dixisse[7]), templum tescumque m. f. esto[8]) in sinistrum.
Ollad[6]) arbore, quirquir est, quam me sentio dixisse,[7]) templum tescumque m. f. esto[8]) in dextrum.
Inter ea conregione[9]) conspicione cortumione utque[10]) ea rectissime sensi.

---

1 Varro l. l. VII 51. Libri Augurum pro tempestate tempestutem dicunt supremum augurii tempus.

2 Varro l. l. V 21. Terra dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur; itaque tera in augurum libris scripta cum r uno.

3 Fest. 157. Minora templa fiunt ab auguribus, quum loca aliqua tabulis aut linteis saepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. itaque templum est locus ita effatus aut ita saeptus ut ex una parte (Mommsen sic. corr. ex cod. scr. ea una parte) pateat angulosque adfixos habeat ad terram.

Serv. Aen. IV 200. Templum dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis aut aliqua tali re et linteis aut loris aut simili re saeptum est, quod effatum [sic. corr. Mommsen (Handbuch der röm. Alterth. Röm. Staatsrecht p. 29 Anm. 5) cod. et factum] est: amplius uno exitu in eo esse non oportet, quum ibi sit cubiturus auspicans.

Serv. Aen. VI 191. Moris erat ut captantes auguria certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere; quod spatium templum appellatur et extremae partes antica et postica.

ibid. II 453. Si generis feminini legeris postica, augurale est: ut antica postica.

Varro l. l. VII 7. Templi partes quatuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.

Serv. Ecl. IX 15. Augures designant spatia lituo et eis dant nomina, ut prima pars dicatur antica, posterior postica, item dextra et sinistra.

Fest. 339. 351. Serv. Aen. II 54. 693. IX 631. Plin. nat. hist. II 54, 142. v. Auspicia sinistra. Aves sinistrae.

4 Fest. 356. [Tesca Verrius ai]t loca augurio design[ata quo sit term]ino finis in terra augurii. Op[ilius autem Aureli]us loca consecrata ad [augurandum scrip] sit. sed sancta loca undique saepta docent pontificii libri etc. Varro l. l. VII 10

cf. Mommsen U. D. p. 300. Huschke osk. Sprachdenkmäler p. 202.

5 Varro l. l. VII 8. In terris dictum templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. Concipitur verbis non isdem usquequaque. In arce sic: Templa —

[1]) Templa Turnebus, Scioppius; cod. item. [2]) Fest. 161. Me pro mihi dicebant antiqui. [3]) eas te cod. caste Scaliger. sarte ego emendaverim. cl. sarte. [4]) linguam instrumentalis est (cf. Bergk Beiträge zur lat. Gramm. I p. 22. 23, ubi de reliquiis casus instrumentalis Latinorum prisci disserit et Phil. XIV 389. [5]) ullaber cod. olla veter Scaliger. [6]) ollaner cod. ollad arbore ego proposuerim literas er ex dittographia ortas esse putans scripturaeque fluctuationem respiciens. ullaber arbose Bergk l. c. [7]) sic cod. Bergk defixisse (cl. Cic. leg. III 9: quaeque augur — dixerit.) [8]) sic Bergk = meum finistum esto. cod. tectum quem festo. [9]) Paul. 66. conregione e regione. [10]) sc. utcunque explicat Muell. Ellipticum dicendi genus explanari idem vult supplendo: templum meum finio.

1 Tripudium solistimum
2 „ sonivium
3 Vitium, vitiosus
4 Vivus

1 Cic. div. II 34,72. Quia cum pascuntur necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est; hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiatur. ibid. I 15,27. 28. Nostri magistratus auspiciis utuntur coactis: necesse est enim offa objecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. quod autem scriptum habetis, avi (cod. aut) fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit, hoc quoque quod dixi coactum tripudium solistimum dicitis. ibid. II 35,73. Decretum collegii (sc. augurum) vetus habemus, omnem avem tripudium facere posse.

Fest. 245. Paul. 244. Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret —. Bonum enim augurium esse putabant, si pulli, per quos auspicabantur, comedissent, praesertim si eis edentibus aliquid ab ore decidisset. Sin autem omnino non edissent, arbitrabantur periculum imminere. Fest. 363. Tripudium cernitur in auspiciis in exsultatione tripudiantium pullorum.

id. 298. Solistimum Ap. Claudius in auguralis disciplinae l. I ait, esse tripudium, quom avi (sic Mueller, quod aut cod.) excidit ex ore quod illa fert: saxumve solidum aut arbos viviradix ruit etc. v. Tripudium sonivium. Plin. X 21, 24, 49.

Fest. 173. Nuces [flagitantur nuptis et jaci]untur pueris, ut novae [nuptae intranti domum] novi mariti auspici[um fiat secundum et so]listimum. Paul. 172. Serv. Ecl. VIII 30. Sparge, marite nuces] Dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere, quod projectae in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad rem ordiendam optimum est. Juglandes in nuptiis cadendo Tripudium sonivium faciunt. Plin. nat. hist.

cl. Fest. 197. Oscinum tripudium est quod oris cantu significat quid portendi.

2 Fest. 289. Sonivio significat in carmine . . . augurali sonanti. Serv. Aen. III 90. Tremere omnia] Et hoc augurium juxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur tripudium sonivium (cod. sonubium) i. e. a sono; ad quod pertinet si arbor sponte radicitus (cod. radicibus) cadat, si terra tremat. cl. Fest. 298. Solistimum Ap. Claudius — saxumve solidum aut arbos viviradix ruit, quae nec prae vitio humanave vi caedanturve jacianturve pellanturve.

ibid. 297. [Soni]vium tripu[dium ut ait Appius] Pulcher quod [sonet, cum pullo exci]dit puls quadr]upedive . .

3 Cic. div. I 16,28 nat. d. II 4,11 Liv. VIII 23 et saepius.

4 Serv. Aen. II 719. Flumine vivo] perenni (quia jugiter aqua fluens viva vocatur) semper fluenti i. e. naturali ut I 167: Vivoque sedilia saxo. Est autem augurale verbum. cl. Ovid. Met. V 317, VII 204.

Schul-Nachrichten

für die Zeit

von Ostern 1874 bis dahin 1875.

I. Lehrverfassung.

Der Lehrplan hat keine wesentlichen Aenderungen erfahren; es genügt daher unter Hinweis auf die im vorjährigen Programm (p. 1—8) darüber enthaltenen ausführlichen Mittheilungen die Angabe der Autoren, die im Laufe des Jahres gelesen, und das Verzeichniss der Aufgaben zu den lateinischen und deutschen Arbeiten, welche von den Schülern der I und II bearbeitet worden sind.

Latein: IVA und B: Cornel. Nep. Miltiad. Themist. Pausan. Alcib. Epamin. Pelop. Agesil. Hannib. — UIIIA und B: Caes. bell. gall. I—III. Ov. Met. I, II. — OIII A und B: Caes. bell. gall. V—VII. Ov. Met. VII, VIII, IX. — UII A und B: Liv. XXI, XXII. Cic. Cat. Mai. Sall. Catil. — Verg. Aen. I, II, III. — OII A und B: Liv. V, Cic. divin. in Caecil., de imperio Cn. Pomp., pro Roscio; Sall. Jugurtha. Verg. Aen. IV, V, VI. — UI: Cic. Tusc. I und V mit Auswahl. Cic. in Verr. II, IV. Tacit. Agricola. (priv. Cic. ep. sel. und Caes. bell. civ. I, II.) Hor. carm. l. I, II. — OI: Cic. Brut. Or. pro Milone. Tacit. Annal. l. I. Hor. carm. l. III, IV und ausgewählte Episteln und Satiren.

Griechisch: UIII A und B: Xenoph. Anab. l. I. — OIII A und B: Xenoph. Anab. II, III, IV. (Hom. Od. I, 1—100.) — UII A und B. Xenoph. Memor. I, II. Hellen. Auswahl aus II und IV, Hom. Od. I—XII. — OII A und B: Herod. VII, Lucian: Traum, Charon, Timon, Hom. Od. XIII bis XXIV. — UI: Soph. Antig. Plato Criton, Euthyphro. Hom. Il. I—XII. — OI: Plato Protagoras. Thucyd. I, II, Hom. Il. XIII—XXIV.

Französisch: UI: Guizot Hist. de Charles I. Delavigne: Les enfants d'Edouard. — OI: Montesquieu, Considérat. Molière l'Avare.

Die Vertheilung der Lehrstunden unter die einzelnen Lehrer während des Wintersemesters 1874|75 ergiebt sich aus der am Schlusse dieses Berichts gegebenen tabellarischen Uebersicht.

Hinsichtlich der Schulbücher ist im verflossenen Schuljahre keine wesentliche Veränderung vorgekommen; nur ist das Lehrbuch für den katholischen Religionsunterricht von Dr. Martin auf Anordnung des Königlichen Provinzial-Schul-Collegiums ausser Gebrauch gesetzt worden.

Themata der aufgegebenen freien Arbeiten.

1. Im Lateinischen.

